DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

12

DISPUTATIO MEDICA
QUAEDAM

DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS JOANNES KING,

EX INSULA BARBADA.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

PATRI CARISSIMO,

JOANNI KING, Armigero,

IN BARBADA INSULA

DEGENTI;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATE, QUA FILIUM DECET,

ANIMOQUE CURAE PATERNAE MEMORI,

SACRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

FEBRE FLAVA

COMPLECTENS.

PRAEFANDA.

NULLUBI et nunquam artis Apollinaris professores non studio acerrimo febres perscrutari soliti sunt; nulla enim valetudinis adversae genera homines crudelius plexuerunt, nulla tot millia morte multarunt, nulla vero ingenia magis luserunt. Siquidem febres Europam meridionalem, aliasque partes orbis veteribus noti, Indiasque, multo magis quam terras alterutri polorum propiores vastant, hinc factum est

medicos antiquiores fusius et luculentius de iis recentioribus et hodiernis scripsisse; quippe qui illas praecipue regiones accoluerint. Ex omnibus sane libris quos HIPPOCRATES, ARETAEUS, AULUS CORNELIUS CELSUS, &c. confecerint, longe plures ad febres pertinent. Febrem igitur Flavam argumento selegi, non equidem viribus fisus, aut professus novi me aliquid jam cognitis adjicere posse; sed scribere de re quavis ad artem Machaoniam spectante coactus, et medicinam, si Numen Divinum ausis faveat, in India Occidentali facturus, quam brevissime et clarissime praecipua et memoria dignissima de febre proposita eruditis subjicere statui. Non in animo est, quicquid proferrem, fontem, unde idem deduxerim, adjicere; satis esse existimavi, nunc enunciare, BANCROFTIUM, RUSHIUM, HUNTERUM, CLARCIUM, FERGUSONUM, LINDIUM, CHISHOLMIUM, et MUSGRAVIUM, eos esse claros auctores, quibus uti fontibus nixus haecce conscripserim.

Ita argumentum propositum indagare consilium est, ut disseratur,

I. De definitione et nomine.

II. De signis.

III. De vitiis cadavere secto deprehensis.

IV. De signorum ratione.

V. De *diagnosi* et *prognosi.*

VI. De causis, rationeque praecavendi et curandi.

DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Alii aliis nominibus febrem, quam prosequor, medici designarunt. Quidam, maximeque Cullenus, *Typhum Icterodem ;* nonnulli *Causum Endemicum ;* pauci *Synochum* vel *Synocham Tropicam ;* Hispani vernacule *El Vomito Prieto ;* Galli vernacule, modo *Maladie de Siam*, modo *La Fievre Matelotte :* Plerique autem *Febrem Flavam* appellarunt. Novi aut insoliti minime avidus, horum ultimum amplexus sum ; quod satis respondere videtur. Caeteris pauca quae objiciam habeo, Culleniano nomine sane excepto ; id enim eo ablegandum judico, quod falsa

suggerit. Docebunt infra memoranda febrem flavam non esse *typhum*, non pestilentem, nec bilem absorptam cutem semper rutilare; quocirca haec febris pessime *Typhus Icterodes* vocatur. Ita definire placuit: "Febris ardentissima, signis cerebri, ventriculi aut utriusque inflammati stipata; dein, exacto biduo, seriusve aut ocyus, vomitus niger, cutis flava, et signa qualia *typhum* graviorem inveterascentem denotant."

DE SIGNIS.

Febris flava modo subito accedit, alias per insidias et pedetentim obrepit. Incipit e signis aliarum febrium ineuntium propriis; videlicet, lassitudine, horrore, vertigine, dolore capitis, &c. Aliquanto postea, et serius ocyus, caterva malorum longe deterior ingruit. Dolores caput, dorsum et artus infestant: summa cutis ubique corporis vehementer exardet; vultus perquam rubet et intumescit; arteriae

caroticae et *temporales* motu validissimo saliunt; omnes sane arteriae quam citissime et durissime micant CX[ies] ampliusve quaque parte horae LX[ma]; oculi corusci et rutili prominent, lucis impatientes; et homo pene ebrium refert. Respiratio crebrior et difficilis est, nec sine anxietate summa. Dolor capitis exacerbatur, praecipue circa frontem et oculos. Secernenda et excernenda secerni et excerni pene desinunt; lingua sordida inarescit; sitis crudeliter torquet. Ventriculus ultra debitum irritabilis omnia ingesta protinus evomit, humore bilioso saepe mixta. Dolor et angor circa praecordia vexant, quae mala premente manu ingravescunt. Somni nocturni frequenter somniis dirissimis solvuntur, nec raro ipsum delirium opprimit; quod tamen perpetuum non est. Urina reddi solet aequo parcior, rufa et crassa. Alvus pigerrima, vix medicamentis valentissimis solicitata descendit. Haec signa unam diem, biduum diutiusve perseverant; fere nunquam ultra horas LX trahunt. Utinam accedere liceret salutem saepe eadem excipere.

Interdum sane, sed eheu! perraro, febris inter haec feliciter solvitur alvo fusa et biliosa, aut cursu sanguinis e naribus, &c. Plerisque tamen nova longeque exitiosiora signa necem pede praecipiti inferre consuerunt.

Nunc demum mala jam proposita remissiora in melius converti videntur; et aeger imperitis ad sanitatem rediturus apparet. Non multo postea istae induciae evanescunt: ardores fugantur; motus arteriarum exilissimi et celerrimi fiunt; cutis summa viscido humet sudore et friget; urina fluit difficulter, parca, corruptissima, atra; lingua sicca et fusca aliquando nigricat; subinde profecto, siti non cruciante madet. Mens dilabi coepit: nonnunquam infelix stupet aut delirat. Vomitus continenter plectit, et sensim increscit: quod vero sursum excernitur, atrum aut fuscum, *choavae* baccas ustas contritas, et aqua mistas simulat. Quicquid alimenti sumatur, illico respuitur. Alvus profusa idem fere quod ventriculus excernit. Oculi aurescere incipiunt; dein facies, tempora, cervices, aliaeque corporis partes. Quibus-

dam non oculi primi flavent; sed maculae aureae fuscaeve pectora, cervices, artus, &c. male habent, priusquam oculi et reliquae partes tingantur. Multis, post extremum spiritum, color fit saturior: paucis, denique, cutis et oculi non ante lutilescunt, quam perierint. Omnia nunc miserum in praecipiti versari testantur: Aeger assidue singultit; spiritus trahitur et emittitur difficillime; oculi collabuntur; lingua magis nigrescere pergit. Hic illic summum corpus maculis purpureis, scilicet *petechiis*, efflorescit. Suspiria crebra imo quasi pectore ducuntur; artus contremiscunt et frigent; os hiat; homo brachia et crura persaepe jactat et inaequaliter dispergit; vox faucibus haeret; aut aeger mussitat; devorare posse desinit. Sentiendi facultas hebetatur, aut prorsus deletur; distentiones nervorum exagitant. Memoratu quoque dignissimum est, fere omnibus jam perituris sanguinis quasi resoluti copiam perinsignem e naribus aliisque canalium, quos membranae *mucosae* obducunt, manare; quod malum nunquam non fati venturi prae-

nuncium est. Urina quoque redditur foetida, subatra, animique injussu, morsque exoptanda tantas aerumnas finit. Alii citius, alii tardius absumi consuerunt : plerique triduo exacto emoriuntur. Notare oportet, quibus indicia cerebri graviter concitati aut inflammati exardent, hos celerius eripi, vomitumque eosdem levius exercere; quos autem hoc malum aliaeque ventriculi inflammati aut irritabilis notae acerbius plectunt, eos minus delirare, et perraro ante diem quartum aut quintum emori.

DE VITIIS

CADAVERE SECTO DEPREHENSIS.

Cerebrum et ventriculus prae omnibus visceribus hac febre implicitis laborare comperta sunt. Notas inflammationis praegressae fere semper exhibent; ita tamen ut aliis hic, aliis illud vehementius afficiatur.

Quod ad cerebrum, ejus membranae aequo crassiores et rubriores, vasis praeter consuetudinem refertae conspiciuntur : nec raro, secus

atque fert natura cohaerent. Cerebrum ipsum induruisse frequenter apparet, atriis ejus latice simul superfluentibus.

Quibus signa ventriculi perturbati aut inflammati, spiritu adhuc manente, prodierint, his cerebrum fere nulla sibi praetulit vitia, si venas ultra debitum turgidas excipias. Plerisque ventriculus satis manifeste inflammationem quaesitissimam subiisse invenitur; membrana enim intima livet, imo vero subinde nigricat; hic illic porro erosa aut exulcerata videtur. Eaedem notae aliquanto sane mitiores intestino contingunt. Humor ater vel fuscus, quem evomi dixi, non solum ventriculo inclusus, verum etiam ex arteriis et venis arte diruptis profundi, sectis et introspectis cadaveribus, comperitur.

Jecur alia aliis vitia prae se ferre notatur. Quidam contendunt nihil insoliti, praeter colorem minus saturum, nimirum quendam pallorem, ei evenire. Nonnulli contra affirmant idem aequo magis purpurascere, sanguineque redundare, tanto simul mollius quam homine integro ut ex facili dilaceretur.

Vesicula fellis bilem spissiorem et atriorem habere traditur, ipsa quoque crassior, quam valetudine secunda. Scire licet, humorem ejus proprium sordi nigrae vomitu ejectae, colorem, saporem, omnesque pene alias dotes prorsus dissentire. *Omentum* gangraena ruisse modo reperitur: et ne multa, viscera omnia ita se habent, ut hanc febrem actiones corporis interiores quam acerrime concitasse et perturbasse edoceant.

DE SIGNORUM RATIONE.

Non nisi praecipuis signorum insistere in animo est: quibus scilicet probe patefactis, lux clarior febris flavae naturae affulgeat.

De cute flava.—Jam retuli cutem non inter principia flavere: modo secundo, tertiove die, modo paulo ante eventum lethalem. Aliquando porro summa cutis ubique aurescit, alias hic illic; maculis nempe erumpentibus.

Hae vero aureae, fuscae, purpureae vel subvirides esse possunt. Quorsum hoc signum multiplex referendum sit, inter medicos nequaquam convenit. Ex omnibus vero sententiis de eo propositis, duas memorare satis erit. Quibusdam placuit, bilem resorptam, aliis cruorem in telae reticulatae cavernas fusum cutem rutilare. Utramque ex his causis huc operam conferre nobismet persuadetur. Oculi enim fere semper lutilescunt, et plerisque primae omnium partium; urina etiam biliosa esse consuevit; quae indicia alio fonte enasci nequeunt. Si quis objiciat, dejectiones non albescere, respondeo, sordem nigram intestino inhaerentem eum stercoris colorem impedire; alvumque febre flava haud minus quam morbo regio aegrotantibus pigram esse. Cur fel in sanguinem deferatur, minus constat. Verisimile est vomitum quaesitissimum efficere, jecore tantis nisubus presso, ut bilis in surculos extimos venae *portae* refluat, inde venas *hepaticas* petitura. Maculae flavae, fuscae, virides aut purpureae, clare quoque cruori vitioso in cellulas membra-

nae reticulatae profuso, vasis scilicet laxatis, ipsoque sanguine resoluto sive tenuiore, tribuendae sunt. Denique, uti fere cutis aurea duplici huic fonti debetur, ita interdum alterutra sola exoritur; quibusdam enim febrientium cutis et oculi tinguntur, citra maculas; aliis contra, summum corpus nullubi nisi apud istas maculas coloratur. Perpaucis corpus haud omnino spiritu adhuc manente, aureum sibi colorem induit; post mortem protinus inficiendum.

De vomitu nigro.—Antiqui de atra bile multa hallucinabantur. Res est hodiernis notissima succum istiusmodi corpori humano deesse. Omnes nunc idem de ortu signi propositi sentiunt; scilicet, nigram sordem ejici solitam cruorem esse malum arteriis et venis ventriculi imbecillis, ideoque diruptis profusum, et rebus ingestis inquinatum. Imprimis, eandem fel non esse testantur, sapor non amarus; color ejus aqua mistae non viridis, eadem succo vesicae fellis proprio prorsus aliena; et ventriculus ea repletus, hiatu ejus inferiore adeo coarc-

tato, ut plane bili ex intestino ascendere non licuerit. Vasa denique ventriculi humorem, de quo agimus, effundere hinc patet; quod si quis, cadavere mortui patefacto, membranam ventriculi intimam arte divellat, ex arteriis et venis sic violatis cruorem istum nigrum profluere conspiciet. Quod ad reliqua signorum, eandem accipiunt rationem, quam aliis febribus urgentibus. Hoc equidem adjicere licet, plerasque febris flavae notas ad cerebrum et ventriculum inflammata referri posse.

DE DIAGNOSI.

Febris flava typhum et pestem quadam ex parte simulat: quomodo ab iis discernatur, proximum est ut paucis ostendam.

Febris flava tempestatibus et regionibus sole torrido exustis potissimum grassatur: contra, aestus vehementior *pestem* debellare vel extinguere videtur. Hac aegrotantibus *bubones* et *carbunculi* fere erumpunt; illa nequaquam.

Haec non raro cursum integrum usque ad mortem explevit, citra aliquas febris ardentis, aut incitationis insignis notas; illi contra cor et arteriae motu perquam concitato saliunt. Afri *peste* frequenter, febre flava perraro implicantur. Huc accedit, febrem, de qua scribimus, pestilentem non esse; cujus rei documenta paulo infra proferentur. Nemo rei medicae peritus *typhus* an febris flava aliquem corripiat, dubitare poterit. *Typhus* Britannis et aliis Europae septentrionalis populis exitiosissima esse consuevit, hyemeque genus humanum valde affligit; corpora porro imbecilla et languida praesertim invadit: contra, febris flava prae aliis juventa et robore florentes, sanguineque plenos, vexare comprobata est. Quinetiam, haec aliquando speciem sibi induit febris remittentis aut intermittentis, praeter ea indicia propria, scilicet cutem auream et vomitum nigrum; unde saepe nomen deduxit.

DE PROGNOSI.

Proximum est, ut, quae signa spem, quae metum incutiant, quam brevissime explicem.

Quanto magis cor, arteriae et genus nervosum inter principia cieantur et perturbentur, tanto citiori pede accedere solent virium labefactarum indicia secutura. Cui igitur, febre jam incipiente, vultus praeter naturam intumescit et rubet; cui oculi rutili et quasi feroces nitent et turgent; quem delirium capitisque dolor torquent; cui arteriae moventur validissime, dure et citissime; cutis aret et incalescit; vomitus assiduus est; is salvus esse vix potest. In praecipiti autem versatur, qui sordem atram evomit; quem distentiones nervorum agitant; cui tendines digito imposito subsilire sentiuntur; cuive sanguis resolutus e naribus aliisve partibus prorumpit. Notatu equidem dignissimum est, neminem unquam revalescere, cui,

praeter alia signa periculosa, sanguis copiosius e naribus profluit.

Si vero delirium, dolor capitis, anxietas et reliquae cerebri affecti notae sensim leniuntur, si vomitus quiescit aut sedatur, si praecordia pressa minus dolent, arteriaeque molliter, aequaliter, nec amplius octogies aut nonagies micant; spes haud erit abjicienda. Neque desperandum, si, quod eheu! perraro evenit, omnes actiones secretrices redeunt; si cutis summa tepido madet sudore; si alvus biliosa rite descendere incipit; si lingua expurgata nitet, rubet et humet, ideoque sitis fugatur; si demum homo noctu dormire, medicamentis non huc operam collocantibus, et interdiu vigilare observatur; si cibos probe appetit, sumptosque quadam ex parte concoquit. Uti denique hanc partem rei propositae absolvam, quanto sit aliquis validior, florentior et sanguine plenior, tanto eundem magis periclitari: haud etiam ignorare oportet, plures eorum, qui in febrem hanc luctuosam incidunt, perire.

DE CAUSIS ABDITIS.

Usu docemur juventa et robore florentes, sanguine plenos, fibris validis praeditos, et irritabiles, prae aliis opportunos esse qui in febrem flavam, admota causa excitante, incidant.

Europaei magis quam India Occidentali nati ei patent: mares quoque facilius et saepius quam foeminae aegrotant. Fertur quoque Gallos, Hispanos et Lusitanos ad Indias advectos minus quam Britannos, Danos aliosque populos Europae Septentrionalis, ad hunc morbum subeundum esse proclives. Harum rerum rationem, ni fallor, explicare difficile non est. India Occidentali aliisque regionibus, quas circuli solstitiorum complectuntur, orti, macilenti, imbecilli, atra bile imbuti et segnes esse solent, praecipue si stirpe Europaea sint prognati. Hae corporis proprietates actioni solis torridi diutinae debentur: tantoque imperio consuetudo homines regit, ut demum sic extenuati et confecti, ardores et caeteras

noxas earum terrarum proprias impune patiantur. Viribus igitur et adolescentia gaudentes, speciosi, sanguinei maxime omnium coelo aestuoso objecti laeduntur; eo quod ejusdem insueti sunt et facile in viscerum inflammationes incidunt; quae, uti jam proposui, semper febri flavae ineunti contingunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Siquidem multi, nec parvi nominis, febrem flavam pestilentem esse contenderint, in quorum sententiam jurare nequeo, non alienum putavi, ut imprimis aliquanto fusius hanc perscruter quaestionem: scilicet, necne tabum pestilens hunc morbum progignat.

Omnia, quae medici de viri pestilentis, quod febres parit, natura et dotibus compererint, idem perinsigni sedandi et hebetandi facultate pollere testantur; nimirum, cor, arterias, cerebrum et nervos infirmare. Hoc signa *typhi* ineuntis, ut opinor, satis arguunt. Hinc in aprico

est, cur haec febris graciles prae repletis, debiles prae vegetis, pallidos prae speciosis et vultu roseo donatis, pauperes prae opibus beatis adoriatur. Vis enim sedatrix imbecillis potissimum noceat, necesse est. Contra, ut retuli, febris flava robustos, adolescentes, sanguine plenos praesertim affectat; et jam iniens signa omnium actionum interiorum vehementer concitatarum praedicat.

Febris flava eas praecipue orbis terrarum partes solet populari, quae circulis solstitiorum includantur: certeve parum ultra hasce vagatur, ex alterutra parte. Res vero est notissima, coeli ardores quaesitiores omnigenum fere contagium delere aut extenuare. *Pestis*, *typhus*, *rubeola*, *variola*, et alii morbi pestilentes sint exemplis; qui semper mitiores, rariores et minus lethales Indias quam Europam accolentibus eveniunt. Tabum pestilens, quod febres parit, quam velocissima penna multas peragrat terras, urbes et colonias. Quam celeriter *catarrhus* pestiferus, id est INFLUENZA, late patet? Quis Graecarum literarum doctior ignorat, pes-

tem Atheniensibus olim luctuosissimam, uti a THUCYDIDE accepimus, Aegypto meridionali oriundam, exinde fines Persarum, Syriam Asiamque Minorem cito vastasse, demum ipsius PALLADIS urbem afflicturam? Pluribus exemplis aciem subtilissimam ejus veneni, quod contagium vocatur, illustrare non opus est. Hic satis est adjicere id, quod jam retuli, de febre flava praedicari non posse; quae nunquam ab extera gente vel terra proficiscitur, sed ubicunque saevit, ibi semper nascitur, nec per se unquam aliorsum serpit.

Naves Bellicae, quae multos annos mare Indicum Occidentale exaraverint, nautas omnes diu febris flavae integerrimos habuerunt, qui non prius eadem aegrotare coeperunt, quam relictis navibus, littora petierint: quod si ad naves febre impliciti redierint, socii, qui naves non reliquerint, nunquam exinde febricitare comperti sunt.

Quum igitur manifestum est hanc febrem pestilentem non esse, sequitur, ut, unde exoriatur, inquiramus. Nullus dubito quin eadem

causa, qua febris remittens et intermittens, scilicet, halitu paludum proprio, aliis sane operam conferentibus, gignatur. Imprimis enim, febris flava subinde remittens fieri observatur; deinde, ubicunque ardentissima et creberrima grassatur, ibi paludes, lacus, stagna aut naturae putres collectae reperiuntur. Ubicunque homines agros desiccaverint, urbes extruxerint mundas, siccas, plateis latioribus ornatas, et prae omnibus fossis idoneis praeditas, quae fontes istius halitus subducant; ibi febris flava, quantumcunque olim valuerit, demum pene evanuit. Haud raro febris flava unicae parti insulae Occidentalis Indicae soli inhaesit, quanquam omnes ejusdem incolae commercio liberrimo ultro citroque habito quam intima societate invicem committantur: illa scilicet pars unica paludes, lacus, aut stagna sibi praetulit. Quinetiam, ejusdem rei documento sit, hanc febrem non disseminari, si aegri, locis gravibus et palustribus relictis, ad coelo puro, sicco et sereno praedita advehantur; medicos nempe aliosque ministros impune inter haec febrientibus interesse.

Judicare igitur licet, *miasma* causam esse excitantem omnium praecipuam. Si quis vero objiciat, febrem propositam multum intermittenti et remittenti distare, adjicere oportet, alias causas moderatrices et adjutrices *miasmati* hic accedere; quae quales sint, paucis explicabo. Apud omnes fere insulas mari Indico Occidentali cinctas, aestus saepe tantus est, ut radii solis reflexi meridie argentum vivum instrumento Farenheitano inclusum ad gradum usque centesimum et trigesimum attollant. Eaedem insulae palustribus agris, stagnis aliisque naturis halitus pestiferi, qui *miasma* vocatur, genetricibus redundant: ardores meridiani hoc in sublime ferant et undique diffundant necesse est. Quis enim nescit, febrem intermittentem simili de causa autumno exitiosissimam esse, hyeme, contra pruina agros dealbante, et *miasma* cohibente, non diffundi? Quinetiam halitus iste coelo torrido meridiano evolutus, iterum noctu densior, saturior et nocentior fit: unde intellectu facile est, cur nautae et milites, qui sub dio

noctu se frigori et roribus inter munera adeunda objecerint, in febrem flavam incidant.

Praeter haec, ardores meridiani et frigora nocturna non solum *miasmate* dispergendo et densando, ut retuli, nocent, verum etiam ipsa per se graviter laedunt. Calor nempe corde et arteriis ciendis, et dein frigus vespertinum humoribus intus repellendis, signa ista cerebri et ventriculi inflammatione laborantium inferunt. Haec igitur febris nec remittentis nec intermittentis speciem sibi induere solet; quia viscerum inflammatione assidue accenditur, et intenditur.

Denique, omnia quae calefaciant, irritent, aut impleant, inter causas excitantes memoranda sunt; quippe quae ad viscera inflammanda operam conferunt: qualia sunt ebrietas, satietas, et luxus omnigenus.

DE CURATIONE.

Uti de causis et natura, ita quoque de curatione febris flavae inter medicos nequaquam

convenit. Medici, qui eandem pestilentem et *typho* affinem credunt, venam feriendam esse omnino negant: contra Bancroftius, aliique qui idem, quod ipse, sentiunt, hoc similibusque remediis potissimum innitendum esse docent.

De sanguinis detractione.—Sanguinem esse mittendum omnia indicia febris ineuntis propria testantur. Cui vultus rubrior, oculi rutuli, dolor capitis, arteriae concitatae, cerebrum affectum denunciant, statim oportet, vena brachii incisa, uncias sanguinis xvi aut xx ei elicere; vel arteriam *temporalem* secare. Leges equidem aut praecepta certa et perpetua de hac exinanitione proferre nequeo. Pluribus aegrotantium intra diem unum unciae xx, xxv aut xxx mittendae, prout varient signa, aetas, corporis habitus, et quae sunt his similia. Ne multa, si medicus febre jam incipiente, auxilio veniat, hoc remedium omnium praecipuum habendum est; aut enim febris exinde omnino tollitur, aut certe eo lenitur, ut notae terrentes demum futurae praecaveantur, aut mitigentur.

De lavatione frigida.—Siquidem haud raro cutis haud minus hac febre, quam *scarlatina* laborantibus calet, multi contendunt corpori aquam frigidam affundere, sicuti Curreius proposuit, utile fore. Si membra postea inhorrescant, in futurum hoc remedium omitti debebit. Ardorem insignem aegris molestiam incutere manifestum est: si igitur cutis vehementer incaleat et areat, horrore simul non urgente; si omnia secernenda et excernenda pene supprimantur; aqua affundenda, cujus temperies gradu circiter LXmo aut LXVto indicetur. Cum vero Curreius et plerique ex hodiernis praeceperint, visceris cujusvis inflammationem aut actionem incitatam vetare, quo minus hoc remedio utamur, idem non raro febre flava plexis perniciosum futurum verisimile est. Si non liceat aegrum in frigidarium conjicere, aut ei frigidam affundere, cutis summa spongiis aqua et aceto madefactis saltem tergenda. Quando demum aut quousque remedium Curreianum adhiberi oporteat, sermone brevi et lucido statuere perdifficile est: medico prudente, sciente

et experto opus est; siquidem unusquisque aegrotantium quaedam sui propria exhibet, curandi rationem mutatura.

De vomitus moventibus.—Longe saepius vomitus non ciendus est; non solum enim ventriculum, fere inflammatum, insigniter irritat, verum etiam tantam sanguinis copiam ad cerebrum impellit, ut signa omnia perquam exasperentur.

De alvi purgantibus.—Alvi tarditas quaesitissima febrem flavam comitatur et insignit; nec dubitari potest, quin delirium, calorem et reliqua malorum vehementer intendat. Dejectionem igitur acerrimis medicamentis moliri opus est. Optime conveniunt ea, quae alvum stercore expediunt, simulque arterias secretrices membranae intestini intimae incitant; et ita sanguinem deorsum a capite ferunt, et simul ventriculum non mole praegravant. Hujusmodi sunt *submurias hydrargyri*, pulvis radicis *convolvuli, jalappae, gummiresina convol-*

vuli scammoniae, et sales medii huc idonei. Ab initio fere ad finem haec remedia proderunt, maximeque cerebri inflammationem sedabunt. Si ventriculus eadem sumpta respuat, alvus liquoribus aptis infusis ducenda erit.

De sudoris cientibus.—Aqua frigida affusa sudorem haud parum movet; quomodo, incertus haereo. Ad eundem finem potus aciduli et diluti valebunt. Semper ob impetum rigoris acerbissimum perdifficile est halitum cutis hac febre implicitis educere. Auxiliis igitur omnibus, de quibus conscripsi, prius ministratis, praeparata ex *antimonio* vel *callicocca ipecacuanha opio* adjuncta, dari debebunt. Nonnulli equidem id *antimonio* objiciunt, quod cibi fastidium movet, et vomitum exasperat. Si ita se res habeat, aqua *acetatis ammoniae*, fructus aciduli, et potus diluti potius erunt praecipiendi.

De exulcerantibus.—Si venis alvoque vacuefactis, caeterisque medicinae auxiliis quae depleant aut sedent, admotis, delirium exarde-

re non desinat, utile erit caput ad cutem tondere, et postea aqua frigida aceto mixta lavare: deinde, signis cerebri turbati haud fugatis, *emplastrum meloës vesicatorii* imponere. Pari ratione, si dolor ventriculi, vomitus et aliae notae ejus visceris inflammati perquam cruciant, subinde idem *emplastrum* utiliter parti dolenti applicatur.

Hisce potissimum remediis, et simul causis excitantibus, quantum fieri possit, evitatis, febris flava jam iniens debellari, aut certe leniri solet.

Simul atque vero cutis flava, vomitus niger, et reliqua indicia virium lapsarum accesserint, exinanientibns praetermissis, praeter alvi purgationem, robur conciliandum erit. Dejectio molienda est medicamentis jam propositis. Vomitus nunc, et per totum hujus febris decursum, consopiendus erit *citrate potassae* inter effervescendum devorato. Cortex cinchonae officinalis nunc proderit, ita datus ut quam minime ventriculum oneret. Vinum rubrum

Lusitanicum eodem imbutum optime convenit. *Opium* quoque subinde necessarium est.

Potui accommodatissima sunt succi fructuum acidorum, cerevisia tenuior, omnesque liquores *acido carbonico* saturi: haec enim refrigerant, recreant, viribus succurrunt, et putredini obstant. Conclave, ubi aeger cubat, perflatum accipere debet; et si fieri possit, ejus temperies, gradu LXV^{to}, instrumenti Farenheitani insigniri debet. Urina, stercus, et sordes omnigena, quamprimum subducenda.

DE HYDRARGYRO UTENDO.—Multi contenderunt, praeparata ex hydrargyo, ita ministrata ut totum corpus hoc metallo inficiatur, et os saliva superfluat, febrem flavam praecavere posse; ideoque praeceperunt, ut Britanni, jam ad Indiam Occidentalem ituri, inter navigandum, hoc forti medicamine utantur. Quo pacto adjuvet, me nescire profiteor. Valde suspicor idem modo inutile, modo perniciosum esse. Multi eo non usi revaluerunt: quidam id experti perierunt: alii, ne multa, alias de

eo senserunt. Nonnullis placet hoc metallum prohibere, quo minus jecur et reliqua viscerum amplientur aut indurentur. Denique, nobis remedium anceps omnino esse videtur; quod, si unquam opitulatur, febrem propositam futuram prohibet, praesentem tollit, eo quod actiones corporis interiores omnes stimulat vel celerat; quo fit, ut sanguis aequaliter ad membrorum singula deferatur, ideoque nullubi praeter modum congeratur: secernendaque et excernenda moveantur, et inde corpus plenum extenuetur, validum resolvatur.

FINIS.